

247,
26—33

247,
34—248, 33

fol. 185*

civitatis nullus ingredi vel egredi sine sua licencia commode potuisset. Rex vero Bohemie equitibus viginti milibus congregatis exercitum suum contra regem Romanorum ex alia parte Danubii direxit, ut regem Rûdolphum de suis finibus extirparet. Milites autem regis Bohemie propter nimium timorem Theutonicos bellare nullis voluerunt regis jussionibus obedire nec rex eorum eis audebat confidere, quia longo tempore nobilium patres, fratres consanguineos et affines vi sive fraudulencia pro viribus occidebat aut ipsos de Bohemie finibus extirpabat. Exercitus autem regis Rûdolphi cum exercitu regis Bohemie libentissime dimicassent, si in loco competenti comprehendere potuissent. Rege Rûdolpho Viennam diebus pluribus obsidente misit rex Bohemie dominum episcopum Olmitz¹⁶⁸⁾ cum equis falleratis multis, ut Bohemis Neuwenburg civitas assignaretur, ne a Bavaris regi Rûdolpho fraudulencia traderetur. Festinavit igitur episcopus cum suis propter diversos timores, quod una die quatuordecim miliaria incurrerunt et ob hoc ipsis plures equi nobiles perierunt. Dux Bavarie senior¹⁶⁹⁾ cum hec a fide dignis audivisset, Rûdolphum regem adigit et hec sibi cum gaudio revelavit, dixit ergo regi: Domine, rogo vos, quatenus michi milites CCC assignetis, quia insidias episcopo de Olmitze in silva disposui collocare. Spero enim me ab ipsis aliquid habiturum. Cui rex dixit: Accipe, quod vis et de ipsis ordina sapienter. Tunc dux acceptis militibus Reni, quibus pre aliis melius confidebat, in silvam prope civitatem Neuwenburg collocavit et eos ibi, prout^{u)} melius poterat, occultavit. Dominus autem episcopus sibi positas insidias intellexit Bohemisque civitatem custodiendam tradidit et acceptis multis ex civibus, qui sibi suisque ducatum preberent insidias occulte per devia fugiens ad amicos salvus noscitur pervenisse. Dux autem in insidiis usque ad horam nonam creditur permansisse et suos fame gravissima punivisse, tunc milites duci dixerunt ut quid: Hic fame morimur. Mittatur explorator, qui de statu civitatis et episcopi nobis posset aliquid revelare. Tunc dux cuidam militi dixit: Ad civitatem quasi amicus subito perge et secreta, que poteris, investiga! Explorator ad civitatem subito veniens statum hominum civitatisque requirens reversus retulit dicens: Domine | dux, episcopus Bohemis civitatem commisit civesque secum duxit et ad propria remeavit. Conster-natus dux militibus suis dixit: Quid ergo faciemus? Spe etenim nostra frustrati sumus. Tunc diversi diversa consilia tradiderunt. Unus autem

^{u)} *Hs.* pro ut

¹⁶⁸⁾ *Bruno von Schauenburg, Bischof von Ölmütz 1245—1281.*

¹⁶⁹⁾ *Pfalzgraf Ludwig II. von Bayern 1229—1294, Herzog 1253.*